



Iohannes Philippus ex illustri familia comitum Ringrauiorum natus, & in omni genere uirtutum educatus est. Is cum adoleuisset, ob magnam corporis fortitudinem armorum studia dilexit, atque principum & regum castra sequens, magnam sibi authoritatem comparauit. Vnde postea ordines duxit, & Germanis militibus semper gratissimus extitit. Cum autem Euangelij doctrinam amaret, Anno post natum Christum millesimo quingentesimo quadragesimo sexto in bello Smalkaldico se se Protestantibus coniunxit, & strenuam operam illis praestitit. Itaque Carolus Imperator, cum Ioannem Fridericum Electorem Saxonie coepisset, & eam regionem pacasset, ab ea pace Ringrauium, Mansfeldium, & Recrodum (qui Saxoni militarant) exclusit, atque Anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo in Augustanis comitijs prescripsit. Id cum Iohannes Philippus cognouisset, se se ad regem Galliae Heinricum contulit, & eius partes plurimū auxit. Postea quoque Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo cum rege, Gallorum peditum praefectus, ad Rhenum accessit, & Carolo Cæsari plurimū obfuit. Hinc factum, ut Galliae rex Ringrauium multis opibus locupletarit, & plurimum dilexerit.